

admonitio adeo regi profuit, ut exinde alius a se factus, totum vitæ genus in melius commutari, Plut. in apophtheg. regum.

Quinto, denique nulla in re lædendus est, quia et nos lædi ab aliis nolumus. Porro huic rationi accedit etiam illa quod proximus etiam Dei imago sit. Quis autem nescit pro reo læsæ majestatis haberi, qui Cæsaris imaginem violat aut lapidat? Quod cum fecissent Antiocheni aliqui, graviter mulctati sunt. Ex eo argumentatur D. Chrysost. hom. III. ad popul. Antioch. non minus pœna dignos esse illos, qui proximum offendunt: « Quot, inquit, Dei imagines non tantum dejecerant, sed et conculcaverant? Cum enim reum angas, cum despolies, cum trahas, cum dejicias, Dei imaginem conculcas. Si vero dicas, quod non est ejusdem substantiæ homo cum Deo; quid tum? Neque enim æs statuæ ejusdem est eum

rege substantiæ; sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt: sic et in hominibus, etsi non ejusdem cum Deo substantiæ sint homines, sicut neque revera sunt; verumtamen imago vocati sunt, et propter appellationem, ipsos honorem recipere oportebat. » Sic Chrysost. qui hom. XLII. in Matth. ait: « Sicut in imagine sua rex honoratur vel contemnitur, sic et Deus in homine vel diligitur vel oditur. »

Vidimus rationem, qua reddere proximis nostris debitum oporteat. Superest nunc ut hanc doctrinam effectui mandetis, ne aliquando ad judicium tracti ob non persolutum debitum, a judice audiatis: Docebo te persolvere, quando dicet: Discedite a me maledicti, etc. quamdiu: « Enim non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. »

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XIX.

In illo tempore, ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis, dixerunt inter se: Hic blasphematur. Et cum vidisset cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

CONCIONES.

- I. Quid requiratur a civitate, ut sit civitatis Christi.
- II. Paralytici secundum animam.
- III. Blasphemæ gravitas.
- IV. Cur fugiendum sit temerarium judicium.
- V. Cogitationes malas sine mora repellendas esse.
- VI. Ad spem quæ erigant pusillanimes.
- VII. Fructus timoris Domini.
- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quænam civitas felix censenda.
- II. Bonæ civitatis requisita.
- III. Digni pœnitentiæ fructus.
- IV. Deum omnipræsentem præ oculis semper habendum.
- V. Cur expedit nos incertos esse de gratia et salute nostra.

CONCIO I.

QUID REQUIRATUR A CIVITATE UT SIT CIVITAS CHRISTI.

- I. Christum libenter suscipiat. — II. Avide Dei verbum audiat. — III. Fide et spe polleat. — IV. Magnam erga proximum charitatem habeat. — V. Timorem Dei habeat. — VI. Zelum honoris divini habeat.

THEMA.

Transfretavit et venit in civitatem suam. Matth. IX.

Inter civitates, quas Christus rebus a se gestis celebres fecit, non caret sua laude civitas Capharnaum: vocatur enim civitas Christi in hodierno evangelio. Neque ob id tantummodo quod in ea Christus ut plurimum habitavit, plurimæque signa fecerit, sed etiam propterea quod eam sibi devotam præ aliis dilexit. Alioquin enim ab ipsa tam cito discessisset, quam cito a

IV. PARS ÆSTIVALIS.

Nazareth patria sua discesserat, ob eorum incredulitatem. Felix ea civitas de qua dici potest: *Venit Christus in civitatem suam. Beatus enim populus, ait David, Psal. CXLIII. cujus Dominus Deus ejus: misera vero et infelix illa, cui dicitur illud Oseæ I. Vos non populus meus, et ego non ero vester Deus. Quamdiu Hebræi boni fuerunt, vocavit eos Deus populum suum, uti Exod. III. Vidi afflictionem populi mei. At ubi depravati sunt, aliter de iis locutus est, uti Exodi XXXIII. Ascende de loco isto tu (Moyses) et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Sequitur deinde: Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo. Jure igitur sibi gratulari posset civitas quæ vocari meretur civitas Christi. Videamus ergo, quæ sit Christi civitas et quomodo talis fuerit Capharnaum.*

I. Civitas Christi est, quæ libenter illum suscipit, libenter illum audit, magnam in eum fidem habet, legem ejus observat, ipsum timet, ipsum

honorat. Et talis fuit Capharnaum, saltem aliquo tempore et in aliquibus suis membris.

Primo, Capharnaitæ Christo non gravate susceperunt, imo ut ait S. Lucas, c. VIII. *Erant omnes expectantes eum*, (quod de Capharnaitis intelligendum colligitur ex Matthæo, qui ordinem temporum observans post discessum Christi a Gerasenis, historiam hanc subjungit.) Ad hæc patiebantur eum secum sine molestia degere, ingredi et egredi, ut patet Marci II. Est ergo imprimis ea civitas Christi, quæ libenter illum admittit, secumque habitare sinit, tamquam Dominum suum, quando videlicet Christus per suos servos pastores et concionatores reformat civitatem; quando præcipit servari dies festos et jejunia, quando monet, ut indulgentias lucremur, vel ut operibus pœnitentiæ præveniamus tribulationes et flagella Dei: item si contingat Deum ingredi civitatem per pestem, aliamve tribulationem. Tunc enim agnoscere culpam nostram debemus, sicut Lupum Trecasinæ urbis episcopum legimus, Attila civitatem obsidente interrogasse, qui hic esset, qui sic in se arma lacesseret. Cumque responsum esset: Attilam *flagellum Dei* esse, ingemiscens ait: *Et ego Lupus, vastator gregis Dei, dignus flagello ejus*: portas ergo reserari jussit. Ingressi autem hostes recta urbem pertransierunt, nihil hostiliter molientes, imo quasi neminem oppidanorum videntes, Sur. tom. IV. Hæc ratione si correctores morum et castigationes divinas libenter admitteremus, sæpe a correptione immunes essemus. Contra civitatem diaboli primo incolunt Samaritani, Luc. IX. qui Christum ad se divertere volentem non receperunt; quia scilicet: *Facies ejus erat eantis in Jerusalem*, ut ait Lucas, id est, qui pergebat in Jerusalem ad adorandum more Judæorum, non in montem Garizim, more Samaritanorum: secundo, Geraseni, qui cum vidissent dæmones ejecti ab obsesso, in porcorum gregem Christi licentia immissos, præcipitasse gregem in mare, cœperunt rogare eum, ut discederet a finibus eorum, Matth. et Luc. VIII. discessit ergo Christus, et venit in civitatem suam, Capharnaum, uti in hodierno evangelio habemus. Tertio, Nazareni, qui primo quidem admiserunt Christum velut concivem suum, et audiebant ac mirabantur eum: sed ubi mores illorum taxare cœpit, ejecerunt illum extra civitatem et duxerunt in supercilium montis, ut præcipitarent, Luc. IV. Harum civitatum similes plurimæ inveniuntur. Tales enim sunt imprimis civitates hæreticorum, quæ libertatem fidei, hoc est, hæresin, vel propria auctoritate usurpant, vel privilegio impetrarunt, quod catholicam fidem, damno-

sam sibi existiment. Unde Christum ejusque Ecclesiam catholicam excludunt, vel admissam sæpe male tractant, aut saltem rogant, ut a se discedere velit. Quod nihil est aliud, quam rogare, ut secure et sine molestia pergere possint ad diabolum in infernum.

Hujusmodi etiam civitatum aliquæ reperiuntur apud catholicos. Harum aliæ Christum nolunt recipere, ut qui reformationem suorum vitiorum et abusuum nolunt acceptare. Quales circa initium societatis Jesu fuere non pauca, quæ societatem illam, utpote vitiorum hostem et extirpatricem, in sua recipere mœnia noluerunt; quia: *Non amat pestilens eum, qui se corripit*, ait Sapiens, Prov. XV. Tales etiam illæ, quæ non suscipiunt et amant pastores nisi sibi similes in vitiis, qui cum ipsis ludant, potitent, stultescant; adeoque faciem Samaritanorum habeant.

Persepe etiam accidit, ut qui initio Christum libenter receperunt, postea ejiciant, uti Nazareni fecerunt Christo; et Philisthæi arcæ fœderis quam e templo et ditione sua excluderunt, quod viderent, eam suo Dagon perniciosam esse, I. Reg. IV. Antonius Musa medicus, cum Romam (ubi prius per annos multos nullus fuerat medicus) venisset et Augustum afflictum genu curasset, a Romanis statua alabastrina multa pecunia et immunitate donatus est. Ubi vero postea vulnera curare, ignire, cauteriare, manus et pedes abscindere cœpit, lapidibus obrutus, et per omnes urbis plateas tractus est, Suetonius, in Augusto. Sic multoties accidit Dei servis vera prædicantibus, quemadmodum et S. Paulo qui ad Gal. c. IV. scribit: *Ubi est beatitudo vestra* (Græce *beatificatio vestra*, qua vos propter me beatos dicebatis?) *Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Nimirum quia correctio et disciplina Christi perniciem affert porcis, id est, immundis et carnalibus, vitiaque demergit: rursus, quia ipse non vult adorare in Garizim cum Samaritanis, sed in Jerusalem cum Judæis, hoc est, sentire non cum improbis sed cum probis: denique, quia scindit et urit vulnera: hinc excluditur e civitatibus.

II. Magna aviditate audiebant ejus sermones. Ut enim audierunt, quod esset in domo: *Convenierunt multi*, (Græce habetur, *statim congregati sunt multi*) ita ut non caperet neque ad januam; (id est, ita ut non caperet omnes domus etiam ad januam; idcirco enim paralyticus per tectum inferri debuit), et loquebatur eis verbum, ait S. Marcus, c. II. Ergo illa est Christi civitas, quæ libenter audit verbum ejus; quæ statim et confestim ad id audiendum convenit: quomodo agnelli ad vocem

matris accurrunt, ad vocem alterius ovis non accurrunt. Sic et bonus latro ac centurio ad Christi balantis in cruce vocem accurrunt: latro sinister et Judæi non accurrerunt, quia non erant agni Christi. Et ratio est quia illa est civitas Christi, quæ a Christi uberibus nutritur, adeoque Christum imbibit et induit: hoc autem faciunt, qui ad ubera verbi divini assidue recurrunt, indeque nutriuntur, et fiunt christiformes, quemadmodum docet et admonet S. Petrus, ep. I. cap. II. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

Contra in civitate diaboli sunt, qui lac divini verbi fugere recusant. Atque his atrociter valde minatur Christus, uti Matth. X. ubi ait: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Quia nimirum Sodomæ et Gomorrhæ non fuit prædicatum Dei verbum, sicut illi civitati. Vin exemplum? Miles fuit in Persia cujusdam civitatis episcopus, cumque in ea prædicando nihil proficeret, civitatem execratus, inde discessit. Quare Sapores urbem obsedit cum 300. elephantis, et tamquam ream læsæ majestatis evertit, atque in agrum convertit, Sozom. lib. II. c. 1. et ex eo Baron. ann. 350. Niceph. I. VIII. c. XXXVII. Ob eandem causam, sprete videlicet verbi divini, Venetis aliquando imminabat exitium Sodomæ et Gomorrhæ, nisi precibus S. Laurentii Justiniani eorum patriarchæ, servati fuissent, uti in ejus vita scribit Bernardus Justinianus.

III. Fidem et spem in Christum magnam habebant, uti colligo tum ex illis quatuor qui paralyticum tulerunt in lecto, et cum non possent eum præ turba inferre in domum, ascenderunt in tectum, eoque aperto, demiserunt eum una cum lecto ante Jesum, ut scribit Marcus et Lucas: tum ex fide paralytici, qui certe cum tanta molestia non permisisset se ad Jesum deferri, nisi magnam in Christum concepisset spem et fidem. Hinc Christus: *Cernens fidem illorum, dicit, etc.* ait S. Matthæus. Quando ergo isti tantam habuere fidem, ut nihil non facerent et excogitarent, quomodo paralyticum Christo sisterent, colligo ex his paucis fidem aliorum Capharnaitarum. Itaque civitas Christi est, quæ magnam in Christum fidem habet, quæ tectum, id est, obstacula seu difficultates omnes perumpit, quo ad ipsum veniat, ac proinde omnibus ejus verbis, omniaque ipsi possibilia esse credit. Quales certe non sunthæretici, quia non per omnia credunt Christo, ac proinde nihil credunt. « Tam est anathema,

tam ethnicus et Publicanus, qui Ecclesiam in paucis, quam qui in multis non audit: sicut tam mergitur, qui palmo aquæ, quam qui abysso maris contegitur, » ait cardin. Hosius, apud Stanisl. Rescium, in vita, lib. II. c. XXI.

Secundo, fides illorum fuit una et uniformis. Vidit enim *fidem illorum*, non fides. Quæ ergo civitas Christi esse vult, procuret ut unam tantum eamque veram habeat fidem: hæreticos omnes excludat.

Tertio, fides illorum fuit practica, qua et credebant se impetraturos sanitatem paralytico, et operabantur per charitatem deferendo eum ad Christum; non speculative tantum. Unde dicitur: *Videns fidem illorum*. Fides speculativa non videtur. Unde S. Jacob. c. II. ait: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, q. d. quid prodest fides tua, quam in corde geris, sed nudam et operibus destitutam, ostendere non potes? Hinc Georgius dux Saxonie a Luthero invitatus ad suam hæresim, respondit, opera Lutheri et Lutherianorum ostendere ipsius fidem non esse a Deo, sed ex diabolo; veluti violare vota, jejunia, festa, profanare templo et altaria, sacramenta conculcare, imagines confringere, cultum sanctorum abrogare, etc. refert Corn. a Lap. in ep. S. Jacobi, c. II.

IV. Magnam etiam charitatem habebant erga proximum; siquidem paralyticum, quia ambulare non poterat, in lecto gestabant quatuor bajuli, et cum tanta difficultate per tectum immittebant in domum; nam et scalæ admovendæ erant et tectum ex parte nudandum, æger in lecto sustollendus et fortasse tegulæ aliquot deciderunt in eos qui inferius stabant. Omnia nihilominus magno conatu et concordia opera peragunt nec reclamant dominus, cujus ædes perfringitur; nec expostulant infra stantes. Talis ergo civitas merito dicitur Christi civitas in qua lex ejus observatur, quæ est dilectio; quoniam ipse dixit: *Et hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, Joa. XIII. Cujus typum habemus in quatuor illis animalibus, eundem currum trahentibus, Ezech. I. homine scilicet, leone, bove, aquila: quæ licet natura et conditione admodum differrent, pari tamen passu, et unanimi consensu procedebant, quo impellebat Spiritus. Hac enim ratione concives currum legis evangelicæ trahere deberent; pari consensu animorum, tametsi alios habeant humores et complexionem; unus velut homo affabilem; alius velut leo iracundam et asperam; unus velut aquila velocem; alius velut bos tardam. Et hoc est, quod apostolus ad Galat. VI.

scribit : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, v. g. tu ferto proximi choleram et verba cholericæ, ille ferat tuam melancholiam : tu fer illius tarditatem, ille ferat tuam præcipitantiam : quod alteri deest, tu suppleto. Ad hæc leves injuriæ vel offensæ ferendæ, dissimulandæ et remittendæ sunt inter cives Christi : publica item utilitas privatæ anteferenda.

Contra civitas diaboli est, ubi discordia : vel si est ibi concordia aliqua, est impellentium ad malum et ducentium ad diabolum.

V. Timorem Dei habebant. Repleti enim timore, dicebant : *Quia vidimus mirabilia hodie : et : Quia si nunquam sic vidimus*. Timuerunt autem ob potentiam Christi, miraculo comprobata, indeque colligebant : Si huic tanta ad sanandum est potentia, utique non minor erit ad puniendum. Ex una igitur parte spem in illum concipiebant, tamquam in optimo et humanissimum medicum : ex altera timorem, velut in malorum vindicem. Et hæc est Christi civitas, in qua inter spem et metum vivitur : hoc est enim aptissimum medium ad perseverandum in Dei gratia, facitque homines de salute sua certiores. In ejus rei mysterium, Abraham, Gen. XII. *Tendit tabernaculum et habitavit inter Bethel*, id est, domum Dei, et Hai, id est, abyssum seu vitam vallium ; ab occidente habuit Bethel ; ab oriente Hai. Sic enim quis fidelis habitare debet inter spem cæli et metum gehennæ. Cogitet se constitutum inter beatissimam et miserimam æternitatem, nec se certo scire, utram habiturus sit. In occasu seu adversitate cogitet Bethel et domum Dei : in ortu seu prosperitate cogitet Hai sive gehennam. Porro timor iste non debet esse puerilis et humanus, sed divinus et salutaris, ut videlicet timeamus offendere Deum, timeamus ejus judicia et novissima.

E contra in civitate diaboli vel est desperatio, vel noxia præsumptio de certitudine salutis, uti est apud hæreticos hujus ævi.

VI. Zelum honoris divini habebant. Nam imprimis paralyticus curatus : *Abiit coram omnibus in domum suam, magnificans Deum*. Deinde, reliqui omnes : *Magnificabant et glorificabant Deum*, Marci II. et Luc. V. Denique, etiam Scribæ hujus civitatis zelum honoris Dei præ se ferebant ; siquidem a blasphemia sese abhorrere monstrabant, quando intra se dicebant : *Quid hic sic loquitur ? Hic blasphemat*. Tametsi vero in hoc judicio errabant : blasphemiam tamen hostes et divini honoris zelatores se ostendebant. Talis ergo est Christi civitas, in qua Deus glorificatur et zelus honoris divini viget, blasphemiam vero exulat ; vel si auditur, cum horrore auditur. Nam,

ut argumentatur Maach. c. I. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum ; ubi est honor meus ? Et si dominus ego sum ; ubi est timor meus ? Quid est ergo utilis Christianus*, (ait S. Ambrosius in hunc locum) *semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere et in ejus gloriam omnia procurare*, ad instar videlicet lusciniæ aliarumque avium, quæ mane et vespere Deum laudant, uti docet ibid. Ambrosius. Et vero si omnia Deum laudant, sive quæ in civitate ejus celesti sunt, ut angeli et beati, sive quæ in sublunari, ut creaturæ omnes suo modo : cur non assidue laudet Deum et homo ? Et quis ferat a solo homine Deum blasphemari ? Non tulit in cælo Michael Luciferum blasphemum, dicentem : *Similis ero Altissimo*, sed dejecit illum in abyssum. Non tulit bonus in cruce latro, blasphemari Christum a socio, sed redarguit eum graviter et publice. Ergo et nos fervente zelo abhorreamus a blasphemia, et eorrigamus blasphemantes, aut certe fugiamus. Roberto Francorum regi, filio Hugonis Capeti, aliquando in civitate Aurelianensi pro pace et regni sui tranquillitate oranti Christus apparuit et responsum dedit, quod pacem in regno non haberet suo, donec blasphemias et crimina notoria extirpasset, refert Nicolaus Boerius, decisione CCCI. In Hispania non solum quæstiones de hæresi, sed etiam blasphemiam et voces in Deum et sanctos contumeliosæ ad inquisitionem deferuntur. « Sic Michael Bario Navarræus, inquit Florimund. de orig. hæres. lib. V. c. VI. et de rege suo bene meritis, ordinis S. Jacobi commendator cum aliquando : Por vida de Dios, id est, per Dei vitam jurasset, triginta et unum dies in compedes fuit conjectus. Qua de re cum apud regem esset questus, rex filium suum se ipsi socium additurum respondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret. Ita enim de se meritum esse, ut lubenter ipsum juvare velit : hæc vero in re nullam aliam gratificandi rationem despiciere. Et conclave quidem carceris hic habuit aureis ornatum et cætera omnia non minus quam extra carcerem magnifica : compedes tamen ac catenas non minus duras ac graves, quam de vulgo quis ferre cogebatur. » Horum igitur exemplo, si de civitate Christi esse volumus, vitemus et extirpemus blasphemias, quæ ad civitatem diaboli pertinent et sunt lingua damnatorum. Ad extremum, auditores, date operam quæso, ut hæc vestra civitas dicatur et sit Christi civitas. Sic enim et Christus erit Deus vester ; et quid tunc nobis deerit ? Quid ipse nobis non impertiet ?

CONCIO II.

PARALYTICI SECUNDUM ANIMAM.

I. Mortales omnes post lapsum protoplastorum. — II. Peccatores omnes. — III. Avari et illiberales. — IV. Pigri et negligentes. — V. Animæ purgatorii.

THEMA.

Ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto.
Matth. IX.

Mira oblatio, auditores ; stupendum munus, quod Capharnaitæ in hod. evangelio offerunt Christo hospiti et inquilino suo : homo paralyticus, manuum et pedum omniumque membrorum usu destitutus, jacens in grabato. Quid agitis, o cives ? Nonne Deus in lege vestramandavit vobis ne offeratis ei hostiam debilem et defectibus obnoxiam ? Nonne ait per Malachiam, cap. I. *Si offeratis claudum et languidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum*. Mira est igitur hæc oblatio, sed grata Christo Domino, cujus cibus est conversio peccatorum. Hæc illius venatio, hæc ferina caro est, qua libenter vescitur cælestis noster Isaac et de qua dixit aliquando Dominus discipulis : *Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis*, animam videlicet mulieris Samaritanæ, secundum animam debilis et paralyticæ, cujus salutem tunc quærebat, Joan. IV. Videntur Capharnaitæ Dominum et medio tollere, ac quodammodo devorare omnes languentium ægritudines ; idcirco hodie adventanti in civitatem suam efferunt paralyticum, velut epulum gratissimum. Recte equidem sed sciendum est, offerendos esse Domino infirmos, dum versatur in civitate nostra, dum adhuc in præsentis sæculo expectat peccatores ad penitentiam : nam in altero sæculo non suscipiet eos. Ibi enim dicit, quod apud Malachiam citatum mox subjecit : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra*. Ergo auditores, afferamus quæso ad Christum languidos et languores nostros, offeramus ei paralyses nostras, dum nobiscum hic moratur. Porro nunc videamus qui secundum animam paralytici habendi sint.

I. Paralytici sunt mortales omnes post lapsum protoplastorum. Cum enim primi nostri parentes perdidissent justitiam originalem, quæ velut aureum quoddam frænum cohibebat omnes animæ passiones et constringebat juxta limites suos subiciebatque rationi, uti et carnem spiritui : tunc ablato fræno illo inciderunt una cum posteris suis in miserabilem quemdam languorem, para-

lysin ac dissolutionem omnium membrorum, sensuum, passionum ; quæ velut equus effrænis jugum rationis excutere et libidini suæ indulgere cœperunt, sæviuntque etiamnum, nec nisi magnis conatibus compesci ac frænari possunt. Vidit hoc vel ipse Aristoteles qui, l. I. ethic. ostendit vitiosos istos affectus ita se habere ad imperium rationis et voluntatis, ut se habent membra paralytica ad voluntatem movere ea cupientis, non enim ea quando vult et quomodo et quantum vult, movere potest : *Plane*, inquit, *quemadmodum resoluta corporis membra si ad dexteram movere volueris, e contrario in sinistram deferuntur, sic quoque in anima contingit. In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur, etc.* Queritur de hoc apost. ad Rom. VII. *Non quod volo bonum, inquit, hoc facio ; sed quod odi malum, illud facio*, q. d. ego cupio movere membra et passiones meas in dextrum, secundum legem rationis, et illa cadunt in sinistrum, secundum legem concupiscentiæ, carnalis et bestialis. Ac quemadmodum membra paralytica, si ad opus, laborem vel artem exercendam adhibere volueris, perpetuo aberrabunt et vix recti aliquid facient : ita vires animæ paralyticæ ad malum agendum faciles et pronæ sunt, ad bene autem agendum difficiles et ignavæ. Cujus etiam rei figuram videre est in Agar ancilla, et Sara uxore Abraham. Agar euim cito et facile peperit prolem hero suo, sed Ismaelem malum et immorigerum ; Sara vero tarde et difficulter prolem bonam et morigeram, Isaacum, Gen. XVI. et XIX. Agar sumus in malo, Sara in opere bono.

Sed quod huic paralysi remedium ? Respondimus ad hoc alibi. Breviter nunc. Per Christi gratiam reparari ad pristinum statum possumus ; ergo ad Christum ejusque Ecclesiam deferri imprimis per baptismum debemus ; deinde, surgere a peccatis per sacramentum penitentiam ; post hæc, tollere lectum nostrum, non inhærendo pristinae conversationi nostræ et cupiditatibus malis, sed imperando eis, et dirigendo quo voluerimus ; denique, eundo in domum nostram, de virtute in virtutem progrediendo et tendendo ad perfectionem illam, quam habuimus in paradiso, unde expulsi sumus ; quod per dignum et frequentem sacramentorum penitentiam et eucharistiæ usum obtinere possumus.

II. Peccatores omnes, præsertim inveterati. Paralysis enim resolutio est, faciens ut homo nequeat uti membris ab ea tactis, adeoque nec incedere, nec laborare queat. Hoc autem in hominis anima efficit peccatum ; efficit inquam ut ne passum unum versus cælum ambulare, ne minimum quidem opus cælo dignum præstare